

Order of Saint Lazarus: Primary sources

Johannes de Cornu, Grandmaster. Procuration made out to Guillaume Martin, 'preceptorisque nostri preceptorie nostre Sancti Antoni de Gratemont' dated 11th July 1485.

- Transcribed in: Pièces Justificatives [doc. no. 21] in Gautier de Sibert. Histoire des Ordres Royaux, Hospitaliers-Militaires de Notre-Dame du Mont Carmel et de Saint-Lazare de Jérusalem. Imprimerie Royale, Paris, 1772, p.ii-iii

xxxiv

Pièces justificatives.

N.° 21.

EXTRAIT DES ARCHIVES DE L'ORDRE.

PROCURATION donnée par le Grand-maître le Cornu, à Guillaume Martin, commandeur de Saint-Antoine de Gratemont, pour faire la recherche des titres de l'Ordre, & une collecte dans la Normandie, pour contribuer à l'exercice de l'hospitalité & à la réédification des églises de Saint-Lazare.

Du 11 juillet
1485.

UNIVERSIS presentes Litteras seu presens publicum instrumentum inspecturis, Frater *Johannes le Cornu*, Miles, humilis Magister generalis tocius Ordinis & nobilis Milicie Sancti Lazari Jherosolimitani citra & ultra mare, ac domus conventualis de Boigniaco prope Aureliam præceptor, salutem in Domino

Pièces justificatives.

xxxv

nostro Jhesu Christo. Cum post vindictam passionis ejusdem Domini Jhesu Christi *per Titum & Vespasianum* factam, dicta nostra sacra Religio erecta & fundata sub honore beati Lazari, pluribusque privilegiis, libertatibus, redditibus & reventis dotata, & deinde propter *guerrarum voragines*, que in hoc regno Francie viguerunt, in suis structuris & edificiis *tam in capite quam in membris adeo diminuta & desolata extiterit*, quod *ecclesias, capellas & oratoria dicte nostre Religionis reficere & restaurare*, Religiososque nostros tam famulantes nocte quam die bellantes pro Fide Catholica sustinenda & defendenda sustentare & alimentare, *hospitalitatem intertenere, ceteraque onera Religioni nostre ante dicte incumbencia suportare* nequeamus, nisi nobis Christi fidelium suffragiis succurratur; notum itaque facimus quod nos premissa omnia considerantes, de fidelitate, legalitate, probitate, diligencia & distinctione *Fratri Guillermi Martin, Ordinis nostri Religiosi* expresse professi, preceptorisque nostri preceptorie nostre Sancti *Anthoni de Gratemont*, a dicta nostra domo conventuali dependentis, & Magistri Roberti Martin, ipsos & quemlibet eorum in solidum fecimus, constituimus, creavimus, nominavimus & *ordinavimus procuratores nostros generales & certos nuncios, speciales actores, & negotiorum nostrorum infra scriptorum gestores a nomine nostro, & pro nobis ac nostra domo tuenda, coram reverendissimis reverendisque in Christo patribus ac Dominis Dominis archiepiscopo Rothomagensi, episcopis Ebroicensi, Lexoviensi, Constantiensi & Abriniensi, seu eorum seu cujusslibet ipsorum vicariis, & aliis personis ecclesiasticis, se presentandi, ab ipsisque & eorum quolibet Litteras de placet simul vel successive pro questis & confratriis nostris in suis diocesibus & jurisdictionibus exercendi & faciendi, impetrandi & obtinendi, nec non indulgentias, privilegia & libertates a sanctissimis Patribus Romanis Pontificibus & Sancte Sedis Apostolice reverendissimis Dominis*

e ij

κxxvj

Pièces justificatives.

Cardinalibus & Legatis, illustrissimisque Francorum Regibus nobis & Ordini predicto indultis & concessis, ac etiam paupertates & necessitates indulgentie Ordinis & Religionis nostrorum ante dictorum omnibus personis utriusque sexus declarandi & exponendi, questasque in civitatibus & diocesis Rothomagensi, Ebroicensi, Lexoviensi, Constantiensi & Abrincensi, & qualibet ipsarum, faciendi & exercendi, ac ab ipsis personis elemosinas, confratrias, & *quecumque bona, dona, vota, legata, & res mobiliare*s, & alia caritatis subsidia in auro, argento, integro vel fracto, cera, vel quacumque specie sint, vel fuerint, petendi, requirendi, supplicandi, *recipiendi & habendi*, ac, si opus sit, Litteras quin etiam dandi nec non quoscumque alios procuratores, questores alios, per nos in dictis diocesis constitutos, revocandi & destituendi, revocationemque & destitutionem hujusmodi eis & cuilibet eorum intimandi & notificandi, ac Litteras necessarias petendi, &, *si opus sit*, pro premissis omnibus & singulis, eorumque circumstantiis & dependentiis, nomine nostro & pro nobis agendi coram quibuscumque iudicibus ecclesiasticis & secularibus, quacumque auctoritate fungentibus, & quocumque nomine revestiantur, commendandi, recommendandi libellum seu libellos, & quascumque petitiones summarias & alias petendi, dandi, & offerendi, & recipiendi, excipiendi, replicandi, duplicandi, triplicandi, iudices recusandi, forum & curiam declinandi, quascumque exceptiones proponendi, lites contestandi, jurandi in animas nostras, de calumpnia, malitia & veritate dicendi, ponendi, articulandi, positionibus & articulis factisque ac quibuscumque denunciationibus & requestis respondendi & nihilum faciendi, casus novitatis seu de novo turbate possessionis formandi, ac quascumque Litteras gratiam vel justiciam continentes nobis utiles & necessarias impetrandi & exequi faciendi, testes, instrumenta, Litteras, acta, & quevis alia probationum genera, in modum probationis producendi, in ipsosque & eorum dicta

Pièces justificatives.

xxxvij

dicendi, iterumque reprobandi, renunciandi jus, interlocutorias & diffinitivas sententias fieri petendi & audiendi, opponendi, provocandi & appellandi, oppositiones, provocaciones & appellationes nostras persequendi, insinuandi, intimandi & innovandi, apostolos cum instantia debita & nostre absolutionis beneficium petendi, impetrandi & recipiendi, & super eisdem juramentum licitum prestandi, & insuper nomine nostro procuratorio ante dicto petendi, recipiendi, requirendi & habendi ab omnibus & singulis quorum interest, seu intererit, *omnia & singula documenta, instrumenta, acta, seu quascumque Litteras, recognitiones, probationes, registra, prothocolos, papiros, titulorum, jurium & recognitionum dictæ nostre preceptorie de Gratemont, que seu quas vel quos ipse persone habent auctoritate justicie in deposito & custodia, aut quocumque alio titulo per illa, illas vel illos producendo & exhibendo omnibus & singulis quorum intererit, ut de juribus dictæ nostre preceptorie de Gratemont liquere possit in judicio contradictorio vel alibi, & si opus sit, Litteras exonerationis seu quitanciam aut alias quascumque utiles & necessarias in forma auctentica & debita passandi, dandi & conficiendi, cum pacto perpetuo & expresso petendi, vel contra non veniendi aliquo modo in futurum, alium seu alios procuratorem seu procuratores, unum vel plures, semel aut pluries, loco substituendi, qui similem & eandem vel limitatam in premissis habeant seu habeat potestatem, ac eum vel eos destituendi & revocandi quociens eisdem procuratoribus visum fuerit expediens; presenti tamen procuratorio seu publico instrumento, nihilominus in suo robore permansuro, dantes & concedentes dictis nostris procuratoribus ac substituendis ab eisdem, seu eorum altero, & cuilibet eorum in solidum, premissa omnia faciendi, gerendi & exercendi plenam & liberam potestatem, & generaliter omnia alia & singula circa hec non *contra & oportuna que nos faceremus & facere possemus, si presentes in premissis & personaliter inter-**

xxxviii

Pièces justificatives.

essemus, licet mandatum exigant magis speciale. Promittimus cum bona fide eisdem nostris procuratoribus & substituendis ab eisdem, seu eorum altero, & cuilibet eorum in solidum, nos habere & perpetuo habituros ratum, gratum atque firmum totum id & quicquid per dictos nostros procuratores & substituendos ab eisdem, & quemlibet eorum in solidum, actum fuerit in premissis, quomodo libet sit gestum, & contra non venire aliquammodo in futurum, ymo illud inviolabiliter observare; pro ipsis & eorum quolibet, si necesse fuerit, iudicatum solvi & iudicio fisci cum suis clausulis opportunis, *sub nostrorum & dicte nostre domus conventualis omnium & singulorum hypotheca & obligatione* bonorum, mobilium & immobilium, presentium & futurorum, ubicumque existentium. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium premissorum, presentes Litteras seu presens publicum instrumentum per notarium publicum infra scriptum subscribi & signari, sigillique nostri iussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum in dicta domo nostra conventuali de Boigniaco, anno Domini millesimo *quadringentesimo octuagesimo quinto*, indictione *tertia*, mensis vero *Julii die undecima*, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini Domini Innocentii divina providentia Pape octavi anno primo, presentibus ibidem religiosis ac discretis viris Fratre *Martino du Pain* presbytero, Ordinis nostri predicti Religioso expresse professo, preceptore nostre *preceptorie de Villareyo*, & Colasio Capel orto de Blacquenvilla prope Rothomagum, testibus ad premissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Johannes Poncet, clericus Senonensis diocesis, publicus auctoritatibus apostolica & imperiali ac curie Aurelianensis notarius juratus, quia dictorum procuratorum constitutorum, creatorum, illorum potestatis attributorum, ratihabitionum, promissionum ceterisque premissis omnibus & singulis, dum sic ut supra scripta

Pièces justificatives.

xxxix

sunt per dictum Dominum constituentem dicerentur, agerentur, pronunciarentur & fierent, una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, idcirco hiis presentibus Litteris seu presenti publico instrumento, manu alterius fideliter scripto, signum meum publicum & auctenticum, hic mea propria manu subscriptum, una cum dicti Magistri generalis constituentis sigilli appensione apposui, solitum in testimonium premissorum requisitus & rogatus.